

**PARENTIBUS CARISSIMIS**

s.



## PRAEFATIO.

Profecta est haec disputatio a tractandis fragmentis papyri Goodspeed 101<sup>1)</sup>. Quibus contineri epithalamium virum doctum recte coniecisse postquam aliis eius generis carminibus comparatis cognovi, de epithalamiis agere in animo habui; fusius autem et carmina et orationes praeceptaque, quae quidem ad γαμηλίους pertineant, tractans primum locos qui dicuntur communes excutere necessarium duxi. Atque in censum venire facile perspicitur argumenta περὶ ἔρωτος<sup>2)</sup> et περὶ γάμου. Huic dum studeo quaestioni, incidi in dialogum inter Luciani scripta traditum eum, qui Ἔρωτες inscribitur. Quem, quoniam omnia fere quae de locis illis disputabantur complecti videtur, per se atque uberius tractandum mihi proposui. Itaque laborem eum, quem amplissimo philosophorum ordini tradidi, hunc in modum inscripsi: De Pseudo-Luciani 'amoribus' cum prooemio περὶ ἔρωτος et περὶ γάμου. Sed cum ordini placuisset, ut ex prooemio fieret propria disputatio, quae lingua vernacula conscriberetur, hoc loco tantum de Pseudo-Luciani 'Amoribus' egi. Quo circa saepe non solum te ad disputationem eam revocabo, quam mox me emissurum spero, sed etiam proferentur ea, quibus praemonitis mea de argumento universo sententia quadam ex parte perspicatur et quaestio altera quasi sublevetur atque expediatur.

Hanc quidem dissertationem ita institui, ut primum dialogi argumentum referrem, deinde eius quaestionem tractarem, tum in prooemium inquirerem, denique de auctore

<sup>1)</sup> Journ. Hell. Stud. 1903 XXIII 237 sq.

<sup>2)</sup> Choricus epithal. in Procep. al. 37 ed. Foerster, ind. lect. Vratisl. (1891) p. 24, 6 orationem nuptialem prorsus nominat λόγον ἐρωτικόν; cf. etiam Menandr. περὶ ἐπιδεικτ. XIII 1 p. 127, 15 sq. Bursian.

agerem; accesserunt disputatiunculae quaedam, quas appendicis loco addere optimum videbatur esse.

Hoc quoque loco B. Keilio et R. Reitzensteinio, praceptoribus meis, qui me hoc in argumento versantem semper adiuverunt, gratias ago maximas.

---